Οὐ θέλομεν ὑμᾶς ἀγνοεῖν ἀδελφοὶ περὶ τῶν κεκοιμημένων, ἵνα μὴ λυπῆσθε καθὼς καὶ οἱ λοιποὶ οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα. πρὸς Θεσσαλονικεῖς δ.

Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cateri, qui spem non habent. 1. Thess. 4. n. 12.

ANcipitem hæsisse me Auditores, & in dubio versatum fuisse, quid hodierno die potissimùm agerem, diffiteri non audeo: plangoribusne ac luctui operam vt daremus, laborarem? an verò expulsis mœrorum ex animo & corpore nebulis, ad optatam lætissimæ consolationis auram inuitarem omnes? In ancipiti, inquam, versatus sum, fleremne flentibus vobiscum? an hoc quidquid est flendi materiæ in vberiorem lætitiam oratione conuerterem hilariori? Vtriusque autem rei, causæ minimè omnium leues afferebantur. Luctus quidem ac mœroris, quod hic locus atrato circumquaque vestitus amiculo, nihil nisi tristitiam suadere, animisque præsentium ingerere nihil nisi mortis horrorem videbatur: mœrent parietes, luget pauimentum, scamna ipsa ac subsellia in morti vicinam conuersa ferruginem cernuntur: mortales denique viros, qui sese huc sessum receperunt, communis occupat retinetque dolor, nunc in cadauerosam craniorum faciem, vltrò citroque & prorsum interpositam, intuentes: nunc funeralibus intentos cereis nescio quid lucis è tenebrarum exspectantes penu. Verùm hæc omnia mœroris indicium faciunt magis, quàm vt veram lugendi materiam præbeant. Causa luctus omnium grauissima est, Serenissimi Ducis WOLFFGANGI WILHELMI è vita humana excessus: eo quem Principem & Patronum experti sumus Clementissimum, non sine maximi hodiè doloris significatione, nos carere affirmamus; eum desideramus absentem, eum lugemus extinctum; illi mortuo inferias mœsti persoluimus. Sed flendi & plorandi causam procul habemus censeo; cōsolationis & gaudij magis è propinquo intueamur. Etsi enim mortuus est Principum Serenissimus, eâ tamen indole virtutis: eo Religionis Catholicæ studio; id ætatis ac temporis; tanto ac tali ex se genito & Patriæ ac

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nobis relicto successore ac Patrono est mortuus, vt felicissimum illum hoc obitu suo fuisse sperare possimus: Illos enim qui in Domino moriuntur Angelicæ veritatis elogio beatos meritò appellamus. Σοφια ἰησοῦ υἱοῦ σίραχ. λ. ἐτελεύτησεν αὐτῷ ὁ πατὴρ, καὶ ὡς οὐκ ἀπέθανεν, ὅμοιον γὰρ αὐτῷ κατέλιπε μετ' αὐτόν. *Mortuus est Pater ejus, & quasi non est mortuus* (Eccli. xxx. 4.) *similem enim reliquit sibi post se.* Addam & ego majus quiddam & Augustius ex Christianâ Euangelicæ disciplina philosophiæ, non vitam cum morte commutauit Princeps Serenissimus, sed quasi Agnus, è macello mortis in pascua immortalitatis est translatus, ibi pascendus, ibi cubiturus in meridie sempiterno. Quare quod injuncti mihi officij munus est: non vos ego in mœstitiam & luctum grauiorem oratione funebri impellam, sed humani & mortalis Principatus defuncto laboribus Duci vt benè precemur, vt ipsi hunc ad immortalitatis beatæ optabilissimum transitum meritò gratulemur, pro tenuitate mea, laterumque imbecillitate adhortabor. At verò priusquam huc aggredior de mortalis vitæ cursu & certaminibus, quæ ab Serenissimo optimoque Principe peracta sunt, nonnihil erit dicendum, vt quibus virtutibus tanto viro ac duci conuenientibus per omnem anteactam ætatem excelluerit, & audiatis ipsi, & exemplum capiatis viuendi.

Ortum humanæ gentis repetentibus; & ex quàm paruis initijs, rudimentisque, in quantam militiæ perpetuò duraturæ firmitatem ac robur homo ipse naturâ comparetur considerantibus, *parrhesia* illa Regum & laboriosissimi & sapientissimi non est omittenda.

σοφία σαλομοντος ζ. εἰμὶ κἀγὼ θνητὸς ἄνθρωπος ἴσος ἅπασι καὶ γηγενὴς, ἀπόγονος πρωτοπλάστου, καὶ ἐγὼ δὲ γενόμενος ἔσταξα τὸν κοινὸν ἡμῖν ἀέρα, καὶ ἐπὶ τὴν ὁμοιοπαθῆ κατέπεσαγὴν πρώτην φωνὴν τὴν ὁμοίαν πᾶσιν ἦκα κλαίων. οὐδεὶς γὰρ βασιλεὺς ἑτέραν ἔχε γενέσεως ἀρχήν.

Sum & ego (inquit Sap. VII.*) mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est: natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans. Nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium.*

Hic tamen homo tantâ imbecillitate infans, tantâ ruditate puer, tantâ lubricitate adolescens, in quantam non increscit virtutum omnium & scientiarum, quà humanarum, quà diuinarum segetem? maximè si rectis à paruulo disciplinis imbuitur: Si præceptoribus optimis commissus, dicto illis ac nutu audiens est: hinc enim fit, vt homo homini in immensum præstet; & quod Deorum Immortalium proprium est, præsidere & præesse alijs, ipse quoque Dijs ac hominibus applaudentibus egregiè possit.

Nolo

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Nolo ego, Viri Illustrissimi, infantiam Principis & cunas commemorare natales, quanquam is annus, qui eum in hanc lucem ex matris aluo eductum vidit, non est omninò tacendus. Natus est igitur Princeps Neoburgi anno seculi à Virginis partu quinti & decimi septuagesimo octauo, 1578
pridiè Nonas Decembris ipso Barbaræ Virginis & Martyris natali. Patrem habuit Serenissimum Principem Neoburgensem Philippum Ludovvicum: Matrem verò Serenissimam Annam WILHELMI Iuliæ, Cliuiæ, & Montiũ Ducis filiam: sacro fonte tinctus nomen accepit WOLFFGANGI WILHELMI. Mathematicorum & eorum qui astra speculantur, est genituram & horoscopum inuestigare nascentium; vt ex felici concurrentium siderum positu ac sede fœlicia quoque viuentibus omina prædicant. Nobis hac arte nil est opus, non enim de nascente, sed mortuo verba facimus: & quàm scitè prudenterque in hac mortalis vitæ arena se ac suos moderatus fuerit, non ex astris sed factis in memoriæ honorem adducimus. Prælusit ipse huic posteà per ætatem vsumque confirmatæ prudentiæ adhuc adolescens & iuuenis: nam cum esset ingenio Illustri admodum, & judicio peracri, memoria verò tenacissima, & in omnes retrò annorum res gestas volutabili: ac præterea à paruulo honestissimis literis imbutus, linguarum alienæ gentis cognitioni operam felicissimam posuit. Cumq; in ætatem venisset firmiorem aliarũ terras moresq; lustrabundus inspexit nationũ, & primum iter in Daniam, vt Christietni Regis coro- 1596
nationi spectator interesset, suscepit: Posteà in Italiam terrarum Orbis delicatissimam Prouinciam contendit, omniaq; illic sagaci mente, oculoq; 1599
perscrutatus; id denique retulit, vt præter mores belli spectatos & peregrè Italicè quoque loquendi facundiam adeptus, ea per omnem vitam impensè delectaretur. Per extremos hominum Morinos in magnam Britanniam peruasit, & in Reginæ Potentissimæ Elisabethæ, Prudentissimæ, vt ajunt fœminæ, palatium admissus, jucundissimum cum illa de rebus politicis sermonem habuit: In Gallia quoque dum peregrinaretur, ad Henricum ejus nominis IV. Regem Christianissimum adijsse, eumque salutasse dicitur. Vbique verò gentium, vbique terrarum honorificè admodum ampliterque est habitus: vel ob id maximè, quòd præter corporis & exterioris formæ ac membrorum amabilissimam concinnitatem, & Serenissimum Generis splendorem; maximum quoque prudentiæ in rebus dijudicandis agendisque & sermone appositissimo expectorandis acumen & flumen obtineret. Erat in illo aduersus æquales concordia amicissima, in superiores conuenientissima obseruantia, aduersus inferiores nulla despicientia, nullum fastidium, sed comitas affabilitasque omnibus gratissima. Et licet haberi posset, ex humorum, vnde constabat, siue commistio-

ne siue temperatura ad iram, quam par est, pronior, facillimè tamen placabatur, & à primo deferuescentis iracundiæ momento, ad summam animi lenitatem, enubilatæque frontis amœnissimum nitorem derepentè conuertebatur: adeò quidem, vti & ipse hunc morbum sponte agnosceret, & humanissima veniæ postulatione eidem medicinam experientissimè faceret: benè & præclarè indicans humanum quidem esse perturbationibus animi commoueri; sed cupiditati ac motui succumbere, neque animo suo imperare; ab omni prorsus humanitate alienum.

Hoc virtutum comitatu circumseptum Filium Principem cum ab exteris recepisset Serenissimus Pater LVDOVICVS WILHELMVS; non potuit non vehementer lætari, eos sumtus ibi non malè ab se collocatos, vnde tanta honestatis & gloriæ emolumenta reditura essent: admouit illum itaque ad res suas Neoburgi administrandas, & rectioni subditorum præ-
1607 fecit, circiter annum hujus à Christo nato initi seculi decimi sexti septimum: Cui exequendo muneri copiosè & liberaliter satisfecit. Grauiorum dein mole negotiorum cum vrgeretur, ad Augustissimum Rudolphum Cæsarem, istius nominis secundum iter instituit, vbi de futura in Iuliæ, Cliuiæ & Montium Ducatibus successione, cum Imperatore prudentissimè est collocutus: Maria enim Leonora Serenissima Princeps, IOANNIS WILHELMI Iuliæ Ducis conjux, nullos virilis sexus liberos habebat; vt successio illius, si moreretur, nullum propiùs, quàm WOLFFGANGVM WILHELMVM attingeret. Biennio vix dum exacto moritur
1609 IOANNES WILHELMVS Iuliæ, Cliuiæ, & Montium Regulus: eique meritissimo Iure Serenissimus Princeps Neoburgicus WOLFFGANGVS WILHELMVS sufficitur. Non longo post illud tempus interuallo Reginoburgi, quam Ratisbonam vulgò appellamus, colloquium habetur Ca-
1610 tholicos inter & Euangelicos, vti se nominant: Ibi cùm Illustrissimus Marchio Brandeburgensis Ernestus ad reformatæ Religionis gregales se quoque adjunxisset, eorumque ritus amplecteretur, WOLFFGANGO WILHELMO placuit magis Augustanam sequi confessionem, in eaque id ætatis, quod viueret, degere, & Principatum, quo auctus erat, ad eius leges, cerimoniamque administrare. Sed Benignissimus Deus noluit cœcis illis errorum nubibus ac procellis optimi Principis animum diu fluctuari. Nam cum Illi Catholicam vxorem, è Serenissimis Bajoariæ Ducibus Magdalenam circumspexisset; gemina statim felicitate tantum auxit connubij decus, quia fecit, vti ipse Dux Catholicæ Ecclesiæ ex Lutheranismo transscriberetur, & Serenissima conjux Magdalena post annum alterum quam matrimonium esset initum, noua mater filiolum ederet, quem hodie successorem tanti Parentis & suspicimus & veneramur. Contigit hæc Serenissimi

nissimi Ducis WOLFFGANGI WILHELMI ad Ecclesiam fidemque Catholicam aggregatio, anno quarto & decimo supra Millesimum sexcentesimum a.d. VIII. Calendas Iunias, VRBANI PAPÆ, & Martyris natali. Tum enim Dusseldorpij maximâ omnium exspectatione itum est in Parochialem & Collegiatam Ecclesiam: vbi tempore antemeridiano dum sacra fierent, visus est Princeps Clementissimus ad aram genibus niti, & conceptis verbis Augustanæ Confessionis perfidiam, cui se addixerat, generoso & Principe Viro dignissimo spiritu publicitus ejurare, Romanæque & Apostolicæ fidei nomen dare: Verùm ne impetu quodam potiùs, aut præcipitis incogitantia animi, quàm verò judicij examine illa facere dici posset: Argumenta & causæ, cur illa secta repudiata, ad Romanam se Ecclesiam aggregaret, è suggestu ad Concionem à Decurione ejus templi ex scripto clarè recitabantur. Dux ipse cum Serenissima conjuge Magdalena salutarem sacramenti hostiam Catholico ritu suscepit. Postquàm re diuina perfecta, domum reuertisset, Ministros omnes & Proceres, qui ipsius in Aula, satellitioque; alienis adhuc ab Ecclesia Romana opinionibus imbuti versabantur, in vnum conuocatos, amantissimè, vt Pater, adhortatus est; oblatam Catholicæ veritatis lucem respicerent, eque tenebris exitiosæ ignorantiæ suo exemplo commoti, libentes volentesque exirent, ad veræ Ecclesiæ lumina: quibus etiam hac super re maturè, serioque deliberanda dies octo spatij indulsit. Ad horam tertiam pomeridianam in Templum denuò conuenit Serenissimus Princeps eodem die, & pransus paratus pio vesperarum solennique officio religiosè interfuit, ac deinde per Reuerendissimum Pro-Episcopum, Serenissimi Principis Coloniensis FERDINANDI in Pontificalibus Vicarium Sacramento Chrismatis confirmatus est, quo debita reuerentia suscepto, *Demogoriam* de veræ Signis Ecclesiæ habitam attentè beneuoleque audiuit. Hic ego Vos Viri Fratres & Amici CRVCIS, singulariter quin appellem non me contineo: Quid amabò Vos, quid animi tum putatis fuisse Genijs Cœlestibus, & ad Ducis tanti Custodiam à summo Principe ablegatis, cum hæc fieri spectarent? cum è fluctibus in portum, è tenebris in lucem, è morte in vitam remigrare virum Principem viderent? Lætitia illos incredibili gestire & exultare veritas ait, si vel vnus à deuio itinere, docente ac reducente eum pœnitentia, in rectam redierit semitam. Quid hîc eos fecisse arbitramur, vbi tanti Principis exemplo non vnus aliquis, sed complures subditorum & Procerum, eodem spiritu animati, ad rectam Dei cognitionem, religionemque euaserunt? Quid ipse Christus nostræ salutis reparator & custos, quàm hoc viso non doluit se ad Crucis latera extentum purpurato Mundum cruore largissimè profuso irrigasse

rigasse, cujus quotidie tantos fructus, tamque maturos colligeret? ô niueum illum diem, & huic fratrum amicorum CRVCIS & Dominicæ Passionis congregationi semper commemorandum? Neque enim longo post
1618 tempore factum est, vt cum hic Coloniæ Serenissimus Dux jam Catholicus moraretur, etiam in hanc Crucis Christi philadelphiam id est, Archicõfraternitatẽ adscribi voluerit, & de acerbissimis Domini cruciatibus, audita cõcione, huic nostræ Congregationi dederit nomen; & in conuersorũ subsidium pensione anniuersaria centum Philippicos obtulerit Anno à Christi natali Millesimo Sexcentesimo Duodeuicesimo a.d. XIV. Kal. Martias. In religione autem Catholica cum optimè versaretur & libentissimè, à primo statim id sensit, cæteras quibus antea præditus fuerat virtutes, vmbratiles fuisse potiùs quàm veras; postquã enim in hanc veræ Dei cognitionis ciuitatẽ est adscriptus, IVSTITIAM omniũ perfectionem virtutũ suo complexu continentem, in animi penetralibus, custodem & conseruatricem, sui ac suorum benignissimè condidit: *& cum ea sit constans & æquabilis animi prudentis affectio, ex diuina mente apta, suam cuique dignitatem tribuens*: Quid Deo, quid sibi, quid reliquis hominibus, vel superiori, aut pari in gradu, collocatis, vel etiam ditione imperioque sibi subjectis tribueret, præclariùs multò, quàm anteà & intelligere cœpit & facere. De illo Iustitiæ genere, quo Deo ter optimo terque Max sua conferre & contribuere solebat, quia præcipuum est, aliquid degustemus verius quam ingurgitemus. Quam præclara hujus erga Deum superosque Iustitiæ, ad immortalitatis non dubiæ decus, si tamen hîc quicquam immortale vel haberi vel dici potest, vbi rerum vicissitudini nimium mortali & fluxæ omnia subiecta sunt: vestigia seu monumenta & videmus Nos & Posteritas visura admirabitur! Laudatur non immerito suo quidam Britannorum Catholicus Rex, cui Lucio nomen, quod primus in Anglia Christianitatis negotium procurauerit, & ab Eleutherio Pontifice Maximo, viros eruditione Euangelica præstantes sibi dari petierit, qui Christum sine fuco docerent, hominesque vt feras dispalatos in vnum fidei Romanæ ouile congregarent: dicitur is quoque illius templi conditor esse, quod extra Londinum Polydori tempore adhuc ostendebatur. Eximio laudis genere & memoria nominis sempiterna extollitur Lucius, & jure quidem: sed sua quoque laude non est fraudandus Serenissimus Princeps & Dominus Noster Clementissimus WOLFFGANGVS WILHELMVS, qui tot greges eruditione insignium virorum circum se habuit, illisque ad docendum Christianas literas primò Neoburgi, deinde Dusseldorpij, & Monasterij in Eifflia Dũrensi quoque in oppido, pulcerrima Gymnasia Collegiaq; excitauit. Quis enim digna voce prædicabit, quanti sit ludum pietatis vbique

Hier. Osor.

bique in ditione sua aperuisse Doctoribus Principem virum! hæc laus absque dubio egregia est, & non facilè nisi illorum, qui beneficia tanta acceperunt ingenijs & stylo prædicabilis.

Verùm ne absque viui Exempli imitatione hæc videatur fecisse, Philippum IV Regem Catholicum, quando expeditionem Pragensem Anno M.DC.XX. pro Inuictissimo Imperatore Ferdinando II. suis militaribus copijs felicissimè adiuuerat, sufficienti comitatu adijt, à quo inter Proceres Regnorum & primos Amicos consiliorum adnumeratus, Aureo etiam Vellere donatus fuit: Hujus Regna dum perlustrat, vestigia Discipulorum S Iacobi Apostoli repperit, cuius & sepulchrum honorauit; Tentorium quasi figens Hispali, Granatæ, Cordubæ, Malagæ, Toleti, Madriti, Salamancæ, Murciæ, Valentiæ, Cæsar Augustæ, Barcelonæ, Pampelonæ, vbi erectum monumentum conuersionis ad Religiosum statum S. Ignatij Loyolæ reueritus est; Quapropter diuersorum Religiosorum amore captus, cum primis S. Francisci, Fundatoris Ordinis Minorum, qui Martyrum horum primitias contra Mauros, Turcas ad reductionem Catholicæ Religionis ante quadringentos annos obtulerat, qui suo sanguine felicia Hispaniarum Regna purpurauerat, plurimorum fundationem seriò meditabatur.

Id FRANCISCVS Hybernus, PP. Capuccinorum per Tractum Rheni Commissarius Generalis, Institutor Nostræ Archiconfraternitatis CHRISTI Patientis, Delegatus Illustrissimi & Reuerendissimi Nuncij Apostolici, Antonij Albergati, qui cum potestate de latere has inferiores partes Germaniæ eo ipso tempore moderabatur, expertus est: cui pro RR. PP. Capuccinis primum locum Dusseldorpij dederat, quem postea sua munificentia fundauit; secundum verò locum ijsdem Patribus ædificauit Iuliaci; tertium perfecit Monasterij Euffliæ; alias insuper habitationes ijsdem tradidit alibi, vt exercitium Catholicæ Religionis in suis Ducatibus magis magisque vigeret: Mitto alias Religiosas fundationes, quibus suo Catholico Regimini splendorem addidit.

Ego certè qui Principem hunc nunquam, nisi per transennam, fortassè olim dum hîc in Coloniâ Agrippinensi versaretur, semel atque iterum planè puer vidi; priuatæ illius & publicæ pietatis, quam Deus, Diuique omnes, & Sancta inprimis Deipara cum Angelo tutelari, quotidie vti audio spectarunt vehementer etiamnum recordatione delector: nam & feruenti confessione animi eluebat maculas, & festis diebus solennioribus siue Christi seruatoris, siue Matris eius, & Apostolorum, Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento pascebatur: Nullus dies abibat, quin duo aut tria audiret sacra, tantoque in hanc ritus Catholici pietatem studio ferebatur, vt quiduis sibi potiùs, quàm illam pateretur eripi, & quamuis eo tempore,

quo Catholicus fuit, maioribus semper aduersæ fortunæ fluctibus pulsaretur, & proximorum vel Principum vel Statuum à Romana Ecclesia abhorrentium inuidiâ premeretur, odio flagraret, hostilis, armatæque nequitiæ flagris incesseretur: generosâ tamen & voce verè Catholicâ multis audientibus sæpè dixit: Sursum omnia ferantur ac deorsum, in hac mortali vita; exuar Principatibus & Regnis, vnâ Dei fide & religione non exuar; cuncta pereant priùs, quam ab Ecclesia Catholica viuus videnque diuellar: Ex quo intelligas, quàm sibi ipse nequam non fuerit sed potius monentem audierit: Miserere animæ Tuæ placens Deo: animam ego hîc vitam accipio, vita autem hæc vtrumque dicit, corpus & animam, vtrique verò sua impendendacura, vt ab omni inquinamento carnis & spiritus, puri conseruemur, quod ille eximiè vt præstaret allaborauit.

Tertium Iustitiæ genus, quod erga fratrem & proximum inuiolabile consistere debet, peregrini ac pauperes vel maximè experti sunt, tam paratæ enim, tamque facilis in illos erat munificentiæ, vt ipsorum causa, omnia quæ haberet collecta, collegisse videretur: neque in conuiuiorum sumtu aut vestium & pecuniæ apparatu quicquam possidebat, quod non simul cum pauperibus & peregrinis beneficentiâ plus quàm regali promtissimè communicaret. Audiui ego à compluribus, qui alienis ex regionibus egentes ignotique venerant, dicere, se ad Principem hun liberalissimè in colloquium admissos, mensæque illius adhibitos conuiuas extitisse, quos cum ita quasi hospites suos benè & hilariter accepisset, non sine opulento viatico ab se dimisit, & viatori Angelo commendatos felicissimum abeuntibus iter est precatus. Quòd si ad iter faciendum accingere se per ægrimoniam non poterant. Infirmos & lecto hærentes hospitalitate sua sustentauit & refecit, qua re vnica nulla est inter homines diuinior, & quiuis inde qui mortalia despicere audet, intelligere facilè potest, ad Deum optimum & beneficentissimum hac sola virtute propius accessisse Ducem.

Luc. VI. 11. Non enim (vt Christianus Orator disertim ait) idoneis hominibus largiendum est, & notis, sed quantum potest non idoneis & ignotis, id enim justè, id piè, id humanè fit, quod sine spe recipiendi feceris: stultum id dixerint homines angusti prorsus animi, & cupiditatibus alligati, sed sapien-

XI. 1. tissimè tamen fieri Rex Ecclesiastes admonet cum ait: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illum.* Panem hunc quem super transeuntes aquas misit Dux Serenissimus, post vitæ mortalis suæ tempora in vita immortali inueniet:

Ergò ne luctu perturbemur, ne conficiamur mœrore, gratemur illi potiùs. Sublatus est ereptusque plurimis periculis, plenus dierum, non vacuus benefactorum, ingressus est iter immortalitatis, Annum agebat æta-

ti

tis quintum & septuagesimum, cum anni huius post natum Sotera 1653. mense Martio, die eiusdem mensis duodeuicesima in morbum non diuturnum, sed fatalem incidit, quo morbo cum teneretur, tertio statim die, nempe die vicesima Martij, extinctus est. Mors illi tamen neque improuisa neque infelix obtigisse dici potest, cum satis maturè Pœnitentiæ salutaris Sacramentro animum expiauerit, & Eucharistiæ sanctissimam hostiam susceperit; Vnctionis denique mysterio, ad extremam contra hostes in egressu luctam fortiter communitus inter Patrum Societatis Iesu & Patrum Capuccinorum in vltimo agone desideratissimum obsequium pijssimè expirauerit. Quid hîc quæso est, quod Immortalitatis candidatos & rerum ludibrijs vt non nimiùm deceptos luctu possit afficere? quid non est potiùs quod non vera & salutari lætitia omnes cumulare queat? sed contristatur patria, in luctu & squalore pauperes versantur, quòd suum & patriæ parentem amiserint. Ne dolete Pauperes. Ne luge terra patria: Mortuus enim est Pater vester, & quasi non est mortuus, reliquit enim sibi similem post se. Audiuistis nunc Viri Fratres Amici CRVCIS acerbissima Patientis DOMINI, cur hoc tanti Ducis excessu gaudere potiùs quàm tristari debeamus: Vnum tamen restat, quod mihi orandi estis, vt non absque singulari in Deum superosque hodie pietate & Iustitia Vos & Vestra Deo commendata habeatis maximi Viri exemplo: & si restat quadrans, qui soli Deo cognitus est, in altera vita duci mortuo soluendus, eum Vos precum vestrarum supplicijs soluatis: Ipseque absolutus in æternæ vitæ pascua velut Agnus è macello dimissus continuò admittatur: ibi æternum victurus & lætaturus cum Christo & Superis. AMEN.

APPRO-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf